



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

Oratio Philotæ ad Milites: Argumentum: Ex eodem Currio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

huius dici, qua in homicidiis esse minimè poterat. Præbanam autem & candidam excusationem præmittit, maxime apud suam gentem, cui grata Regum vinolentia. Tacit. Ann. 9.

Vinolentos non admittunt magna consilia.

Porro magna consilia violentos non admittunt. Quippe anima secca sapientissima, & in ebrietate, ut ait Clemens Alexandrinus, κούφιστος ὁ ὕψος ἀνθρώπων περιφύεται, & ἄλλοι αὐτὸν περιφύονται. Ἔστι δὲ ἡ ἐβριότης, ὡς δὲ ἀλκίμου τε ἰατροῦ. Gubernatrix humana mens abijpitar, quasi fluctu se ebrietate superfundente, & mari immerfa caligat.

VII. Confutat quod obiectum fuit de armatis, ac iis & rei oratione; cuius tamen argumenta non sunt Gordii nodi.

VIII. Transit à criminatione parricidii ad causam fratris in eodis, quam per captam sermocinationem præclare insinuat. Inuidebat quippe Perseus Demetrio singulares animi & corporis dotes, quibus dignior habebatur regno. Hoc de ipso Demetrio testatur Polybius, legatione, lib. πρῶτη, inquit, πολλὸν ἄδελφον περὶ τὰ δὲ πᾶντα καὶ δουρεῶν καὶ τῆς φύσεως καὶ τῆς κατὰ φύσιν. Inde autem constat am fratris inuidiam prudenti, honesta sublimi oratione diluit.

IX. Delabitur ad amicitiam Romanorum. In quo adversarii criminationes magnifice confutat, eo orationis charactere usus, quem ἁμυγνῆματα Græci Rhetores appellant.

X. Peroratio suavis, & artificiosa, in qua animadverses postulationes æquas, & civiles, motus commiserationis lenes simul & graves, ex causa iniquitate, & angustis, in quas miser adolescens coniectus est, excitates: Tum aptam Patris delinitionem, qua non ex inclinato in dolorem aut assantationem animo sed ex vera generositate oritur.

GRATERI ORATIO de Philotæ supplicio.

Ex Curtio.

Hac est valdè artificiosa, simplex verbis, magna sensibus, & in occultanda inuidia, qua ardebat adversus Philotam, callidissima.

Venia est misericordia quanti facienda.

Vinam in principio quoque huius rei nobiscum deliberasset: Suavissimus, si

Philotæ velles ignoscere, paterere potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quam vique ad mortis metum adductum cogeres potius de periculo suo quam de tuo beneficio cogitare. Ille enim semper invidiari tibi poterit, tu non semper Philotæ poteris ignoscere. Nec est quod existimes eum qui tantum facinus ausus est, venia posse mutari. Scit eos, qui misericordiam consumperunt, amplius sperare non posse. At ego, etiam si ipse vel poenitentia, vel beneficio tuo victus quiescere velit, patrem eius Parmenionem tunc ducem exercitus, & inueterata apud milites tuos autoritate, haud multum infra magnitudinis tuæ fastigium positum, scio non æquo animo salutem filij sui debiturum tibi. Quædam beneficia odimus; meruisse mortem, confiteri posset. Superest ut malis videri, iniuriam accepisse, quam vitam. Proinde scio tibi cum illis de salute esse pugnandum; satis hostium superest, ad quos persequendos ituri sumus. Latius à domesticis hostibus muni. Hos si submoueas, nihil metuo ab externo.

OECONOMIA orationis.

- I. Primo statuit misericordiam nullam esse, vobis fieri riorum deformitas præualet, ut ait Cornel. Tacit. Annal. 11.
- II. Deinde, si quis locus esset misericordia, tametsi tam nobilis nunquam fidendum esset, qui hoc ipsum beneficium, quasi sua ignominia monumentum odisset.

ORATIO PHILOTÆ ad milites. Argumentum.

Post regi orationes habitas quibus salid accusabatur Philotæ iam supremo supplicio afficiendus, his se purgare conatur, sed frustra; nam præiudicium Alexandri immutari non poterat, & postea etiam per questiones & tormenta coactus plura veris dicebat. Verum hac oratione ad milites adstantes, utitur quum excessisset Alexander è concione, purgare se de suspitione parricidij, de amicitia Amyntæ, de literis in Alexandrum scriptis, graves affectus inmiscet.

Ex.

Ex Quinto Curtio.

Verba innocenti reperire facile est, modum
verborum misero tenere difficile. Itaque
inter optimam conscientiam, & iniquissi-
mam fortunam, destitutus ignoro, quo modo,
Innocenti & animo meo, & tempori paream. Absit qui-
verba rep- dem optimus causarum meorum iudex, qui curam
vire facia ipse audire noluerit, non me hercule excogito,
si: modum quum illi utique cognita causa, tam damnare
verborum me liceat, quam absolueret: non cognita vero
misero tene liberati ab absente non possum, qui a presente
no difficile damnatus sum. Sed quamquam *vincti hominis*
non superuacua solus, sed etiam inuisa defensio est,
que iudicem non ad ore videtur, sed arguere: tam en-
imque licet me dicere, memetipso non de-
feram, nec committam, ut damnatus etiam
mea sententia videar. Equidem cuius crimi-
nis reus sum, non video. Inter coniuratos ve-
mo me nominat. De me Nicomachus nihil
dixit, Ceballinus plerumque audierat, scire non
potuit. At qui caput coniurationis me fuisse
credit Rex. Potuit ergo Dymnus eum prae-
tere, quem sequebatur: praeteritum quum qua-
renti seros, vel falso fuerim nominandus,
quo facilius, qui tentabatur, posset impelli:
non enim, de te flo facinore nomen meum pre-
terit, ut posset videri socio pepercisse. Nico-
machus quem taciturnum areana, de semetipso
credebat, confessus alijs nominatis, me unum
subtrahebat. Quaso, Commilitones, si Ceba-
llinus me non audisset, nihil me de coniuratis
scire voluisset, num hodie dicerem causam,
nullo me nominante: Dymnus sane, & vivat
adhuc, & velit mihi parcere: quid careri, qui
de se confitebatur: me videlicet subtraheret.
Maligna est calamitas: & vere noxium, quum suo
supplicio crucietur, acquiescit alieno. Totne cou-
scij in equuleum quidem impositi verum frue-
buntur: at qui nemo parcat morturo, nec cui-
quam morturus, ut opinor. Ad verum crimen,
& ad unum reuertendum mihi est? Cur rem
defatam ad te, tacuisti, cur tam securus audisti?
hoc quaecumque est confesso mihi, ubicun-
que es, Alexander remisisti: dexteram tuam
amplexus reconciliari pignus animi, conuiuio
quoque interfui. Si ete didisti mihi, absolutus
sum: si pepercisti, dimissus. Vel iudicium
euum serua. Quid hac proxima nocte, qua
digressus sum a mensa tua feci? quod nouum
facinus delatum ad te immutauit animum

tuum? Grati sopore acquiescebam, cum me
malis indormitentem meis inimici vinciendo
excitauerunt. Unde, & parricida, & proditori,
tam alti quies somni? Scelerati, conscientia
obstreperente, quum dormire non possint, agi-
tant eos furia, non cogitato modo, sed &
consummato parricidio. At mihi securitatem,
Scelerati in
se ipso pu-
nantur.
Conscientia.
primum innocentia mea, deinde dextera tua
obtuleraut. Non timui ne plus alienae crude-
litate apud te liceret, quam clementiae tuae: sed
ne te mihi credidisse poeniteat, res ad me de-
ferebatur a puero, qui non testem, non pig-
nus indicij exhibere poterat, impleturus om-
nes metu, si cepisset audiri. Amatoris, &
seotti iurgio interponi aures meas credidi, in-
felix, & fidem eius suspectam habui, quod non
ipse deferret, sed fratrem potius subornaret.
Timui ne negaret mandasse se Ceballino, &
ego viderer multis amicorum regis fuisse pe-
riculi causa: Sic quoque eum laeterim nemi-
nem, inueni, qui mallet perire me, quam inco-
lumem esse. Quid inimicitiarum creditis ac-
cepturum fuisse, si insontes lacessissem? At e-
nim Dymnus se occidit. Num igitur facturum
eum diuinare potui? minime. Ita, quod solum
iudicio fidem fecit, id me cum a Ceballino
interpellatus sum, mouere non poterat. At
hercule, si conscius Dymno tanti sceleris fu-
issem, biduo illo proditorum esse nos, dissim-
ulare non debui. Ceballinus ipse tolli de medio
nullo negotio potuit. Deinde, post delatum
iudicium, quid operiturus eram? Cubiculum
Regis solus intraui, feno quidem cinctus.
Cur distali facinus? At sine Dymno non
sum ausus? Ille igitur princeps coniurationis
fuit. Sub illius umbra Philotas latebam, qui
regnum Macedonum affecto: Ecquis e vobis
corruptus est donis? quem ducem, quem
praefectum impensius coluit? Mihi quidem ob-
ijciunt, quod societatem, patrij sermonis as-
perner, quod Macedonum mores fastidiam.
Sic ego imperio, quod dedignor, immineo.
Iam pridem natiuus ille sermo commercio a-
liarum gentium exoleuit: tam victoribus,
quam victis peregrina lingua discenda est.
Non me hercule ista me magis laedunt, quam
quod Amyntas Perdicae filius insidiatus est
Regi, cum quo, quod amicitia fuerit mihi, Amyntae
portuit diligi a nobis. Sin autem in illo for-
tuna gradu positum, etiam venerari necesse
erat, *verum quaso, quod non diuinavi, reus sum?*
an impiorum amicis, insontibus quoque mo-
riendum

ciendum est? Quod si æquum est, cur tam diu vivo, si iniustum, cur aunc demum occidit? Arenim scripsi, miserari me eorum, quibus uiuendum esset sub eo, qui se Iouis filium crederet. Fides amicitia, veri consilij periculosa libertas me decepistis: vos, quæ sentiebam, ne reticerem, impulistis, scripsisse me hoc fateor Regi, non de Rege: non enim faciebam inuidiam, sed pro eo timebam. Dignior mihi Alexander videbatur, qui Iouis stirpem tacitus agnosceret, quam qui prædicatione iactaret. Sed quoniam oraculi fides certa est, sit Deus causa: meæ testis. Retinere me in vinculis, dum consultitur Hammon in arcum, & occultum scelus. Interim, qui Regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suæ infiduci sunt, latere patietur: si certiora oraculis creditis esse tormenta, ne hanc quidem exhibendæ veritatis fidem deprecor. Solent rei captis adhibere vobis parentes. Duos fratres ego nuper amisi: Patræ nec ostendere possum, nec inuocare audeo; quum & ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim, tot modò liberorum parentem in vnico filio acquiescentem, eo quoque orbari, na ipse in rogum meum imponitur. Ergo, charissime pater, & propter me morieris, & mecum Ego tibi vitam adimo, ego senectutem tuam extinguo: quid enim me procreabas infelicem aduersantibus Dijs? an vt hoc ex me fructus perciperes, qui te manent? Nescio, adolescentia mea miserior sit, an senectus tua; ego in ipso robore ætatis eripior: tibi carnifex spiritum adimer, quem si fortuna spectare voluisset, natura posebas. Admonuit me patris mei mætio, quam timidè & cunctanter, quæ Ceballinus derulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim, cum audisset, venenum à Philippo medico, regi parari, detertere eum voluit epistola scripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare constituerat. Num creditum est patri meo? Num vllam autoritatem eius literæ habuerunt: Ego ipse, quoties quæ audieram detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus sum? Sic, & cum indicamus, inuisi, & cum taceamus, suspecti sumus: quid facere nos oportet?

Alexandri
providen-
tia.

Apostrophe
inaffec-
tibus.

(**)

OECONOMIA
orationis.

I. Exordium plenum commiserationis, & iustæ querimonis, cadit in illud Publij Syri. Et deest, & superat miseris cogitatio.

II. Confutatio à testibus, quod maioris in hac causa videtur esse roboris.

III. Restat ut cum nihil testes aduersus Philotum dixerint, criminum vnium sit silentij, quod Alexandri clementia iam remissum est. Hic appositè irrepit grauis miseratio, & conuulsio de Alexandri mente per Philota inimicos deprauata. Quod autem nihil malefici contraxerit, testatur sopor ille, in quo apprehensus est: similia ratio in oratione Demetrii apud Linium, & apud Cicer. pro Sexto Roscio.

IV. Suspicionem criminis conflata ob silentiū diluit, quod delator esset persona contempta, quod parum fidei habere videretur, & sepe in huiusmodi denunciationibus irrita ab Alexandro Philota creditas. Quod si silentio rectum fuisset aliquod Philote scelus, poterat erumpere, cum omnia consciendi oblata esset occasio.

V. Repugnancia aduersarij, qui Philotam Macedonas dedignar; dixerat, cum idem, regnum assectare deserret.

VI. De amicitia Amynta purgat se generosè ab ipsius Alexandri prauicio. Sic Marcus Terentius apud Tacitum Ann. lib. 3. amicitiam, qua illi cum Seiano fuerat, excusat. Non est nostrum æstimare, quem supra ceteros, & quibus de causis extollas, tibi summum rerum iudicium Dij dedere, nobis obsequij gloria relicta est.

VII. Transit ad literas de Alexandri apothecis obliquè scriptas, in quibus libere suam fatetur sententiam, assentationi contrariam, quod seram immortalitatem mallet Regi: Hac purgatio plena generositate est. Quod autem hic habet de Hamone, & eius templo, multa Diodorus Siculus biblioth. historic. lib. 17. Salus ait Alexandrum. ἡ ἀγορὴ τῶν πατρῶν, καὶ τὰ ἱερὰ τῶν πατρῶν, καὶ τὸν τῶν πατρῶν, in quibus rectè consentit in Q. Curtij narratione.

VIII. Peroratio cum peroratione graui. Similis est locus apud Andocidem. τὴν γὰρ ἀναστρέψαι ἑμὸν δευρό, ἄποιν ὑπὲρ ἑμαυτοῦ, τὸν πατριῶτα, ἀλλὰ, &c. Succedit Apostrophe ad Patrem Parmenionem absentem, in qua eximij affectus. Postremo nouum argumentum à loco remoto subiungit. Hoc est extra ordinem, tamen commode ultimo

Regibus
iudicium
rerum da-
tum est.

ultimo loco positum, ut minus apparata videatur oratio.

ORATIO IVDÆORVM ad Petronium Præsidentem, ne Caligulae statua templo inferretur, deprecantium.

Ex Philone, lib. de legat. ad Caium.

Αἰτησι εἰς τὸν θεὸν εὐχαῖς, &c. quae sic Latine se habent:

Velut pacis & quietis nuntius.

Manus promissa a natura data.

Velut quid fieri in vobis & religione seruanda.

I Nermes, vt vides, adsumus, ne quis nos dicat venire hostiliter. Manus autem pro armis a natura datas recto fleximus, otiosas praebemus & corpora ad certos ictus ferire volentibus: vxores, & liberos, familiaeque adduximus, supplices tibi, & per te Caio aduoluimus, domi relicto nemine, orante vt aut omnes serueris, aut omnes interneccione deleatis. Sumus, Petroni, & natura pacis cupidi, ad quam nos trahit cura liberorum alendorum ex nostris laboribus. Caio imperium adepto primi ex tota Syria gratulari sumus: Vitellio, cuius successor es, tunc in nostra vrbe degente, qui super hac re literas acceperat; & a nobis ad caeteras ciuitates fama lantos nuntios pertulit. Primum nostrum templum excepit pro imperio Caii victimas, vt primum, aut etiam solum, priuaretur religione patria. Decedimus priuatis aedibus, & possessionibus, suppellectilem vltro vobis in praedam offerimus, eo animo vt non putemus nos dare sed accipere. Vnum pro his omnibus petimus, ne quid in templo nouetur, vtque seruetur tale, quale a maioribus nobis est traditum. Id si non impetramus, necandos nos praebemus, ne videamus viui, quod est morte grauius.

Audimus pedestres equestresque aduersus nos parari copias, si dedicationem impediamus: Nemo ita insaniet, vt seruum se opponat domino, libenter iugulabitur. Cadant, macilent, frustatim concidant, sine certamine de suo sanguine agant quicquid libet victoribus. Quid opus est exercitu? nostrosi egregij sacerdotes immolabimus victimas, adducemus ad templum mulieres, vxoricidae: fratres sororesque, fratricidae: pueros puellasque, innocentem aetatem, puericidae: Tragicis voca-

bulis vtendum est in tragicis calamitatibus Deinde in medio eorum stantes, abluti cognato sanguine (nam talia lauacra ad inferos prepevanibus conueniunt) admiscebimus, & proprium, nosmetipsos insuper iugulando. Morientium hoc mandatum erit vltimum: ne Deus quidem nos accuset, qui vtriusque rationem habuerimus, & Imperatori debita reuerentia, & sacratum legum custodia: Id fiet, si vitam haud viuendam contempserimus. Audiuimus praescam fabulam e Graeca literatura profectam, tantam vim fuisse Gorgonei capitis, vt hac visa homines confestim verterentur in saxeos. Id quanquam fabulosum videatur, negari tamen non potest, si mile quiddam magnos nec opinatos casus efficere. Putas, Petroni, si (quod absit) aliqui nostros viderent in templum deduci statuas, non in saxa mutatum iri, oculis stupentibus, & per singula membra sopito naturali motu corporis? Extremum, Petroni, hoc erit nostrum votum aequissimum, non contendimus ne imperata facias, moram tantum petimus, & oramus supplices, vt nobis liceat legatos ad dominum mittere. Fortassis impetrabimus, ne religio caelestis numinis, ne leges sanctissima aboleantur, neve vltimis etiam posthabeamur gentibus, quibus sui ritus manent incolumes: ne decreta eius aui proauique temerentur, quae nostros mores approbarunt, diligenterque confirmarunt; Forsan his auditis fiet mollior. Non

Gorgonei capitis vis.

Irara sequi semper eadem sunt voluntates Principum: iratorum vero euascent celerrime. Petiti sumus calumnij, permitte adhibeamus remedium: durum est indicta causa damnari: si nihil impetramus, quid verat, ne quae nunc vult, tunc faciat: ante missam legationem noli praecidere spem tot millium, non de lucro, sed de pietate contententium: Imo, & de lucro: quod enim

Sanctitas lucrum est.

lucrum homini est sanctitate vtilius? Haec tum magna contentione magnoque desiderio dicta sunt ab honoratissimis singuliculis, & anhelis, lachrymis simul ac sudore disfluentibus, vt iam Petronio caeterisque miserationem mouerent. Est enim mitis ingenio, & verbis factisque flexibilis.

